ingenii turbulentiam et vicinorum iudicia retinere. D
mordebit eos in sinum paulo post anguis iste. Mihi rebil

+ h. e. se excarnificaturum D. Paréum.

ille, neslio quam excarnificationem minatus nuper est.+ E
wollt dem Paréo die haut über die Ohren ziehen: quia Pel
gianismum ipsi objeceram. Sed non metuo fulmen ex p
vi. Schopperus Ambergensium Doctor Lutheranus nuper
misit libellum περὶ εὐχαριστίας [Strobo-Kunst appellat
cum duabus concionibus de coenâ. Praestigias nostris Heidelb
gensibus objicere conatur. Ideò responsum mihi fuit in
junctum, quod jam nisi Ambergam forte ad nundinas
prodibit. Ita cogimur ab istis bonas horas pessimè locare
in eluenda crambe toties recoctâ. Vale vir Reverende
et frater honorande. Deus te nobis et Ecclesiae cum hono
randis Collegis tuis diu servet. Accipe exercitationem
mei filii Philippi, cujus studia paulo post volente Deo
vobis commendabo. Heidelbergae 17. Aug: 1596.

275)

PANTALEONI CANDIDO Salutem D. Pareus.

** Quominus κατασκευαστικὰ nostra in Neopyrgicum illum
Doctorem hactenus prodierint, caussam aliquoties ex me audivi
sti. Obstat S. C. cui dum nos nolentes volentes caremus, ali
interim veritati et nobis insultant multi. Contra Beumlerum
quid nisi crambem bis coctam reponit? Non tamen ita plane
ineptè, quum corruptissimorum stomachis sapiat. Illustrissimus
noster hinc abiens cogitabat cum Principe ejus de istâ impor
tunitate ejus agere: et nunc ajunt Ambergae eos unà esse,
sed quis à ranis silentium? VIII. Februarii Elector cum suis in
templo urbis primario frequente satis coetu comunionem fecit
Apophthegma appositum amicus mihi narravit. Elector in limine
ingressu

ingressu Ædem circumspectus quasi mirabundus et conversus ad subsequentes, fortè Senatores urbanos rogavit: Ecquis templum hoc extruxit? Respondentibus illis: Majores Tui Palatini: Eia, excepit, meum est ergò: et jure ingredior. Faxit ergò coelestis Pater, ut cetera his initiis respondeant: etsi vereor, ne Æthiopem lavenus apud Bavaros. ** Vale Heidelbergæ 16. Februarij Anno 1596.

Eidem D. Candido Salutem Pareus. 279)

** Gratias ago pro principiis Typographiæ vestræ, cui opto incrementa. Placent fabellæ et acuta ἐπιμύθια: quæ cum Faërni certare possunt, si præsertim aliquando auctiores et typo ac forma minore nobis edideris. Huberus Spiræ adhuc hæret offas causidicorum sectans. Et nunc invenit D. Drechslerus quendam, qui eum mensæ adhibuit. Ministri palam videntur favere: clam metuunt: et id agunt, nec clamosus et frontosus doctor locum apud se habeat. Francofurti fuit vespertilio latitans, cavens prodire sæpius, quod metuebat digitis ostendier HIC EST: quod ei aliquoties accidit. Scripsit in Apostatam Pistorium Apostata ipse, perfidior an impudentior illo, parum refert: Pro Luthero apologiam planè, ut audio, λοιδορητικῶς, quia tali patella dignum operculum. Sed exulant ejus chartæ è Misniâ. Nostris Bibliopolæ dixerunt interdictam sibi importationem. Magno libris contrà sive clam, sive palam datus est accessus eò. Magno enim numero sunt avecti: quod Typographus Ambergensis mihi narravit. Fortassis furor aliquantum deferbuit. ** Vale Heidelbergæ postridie Paschatis. Anno 1596.